

vicini æternæ salutis jacturæ. Judas a Deo ad sublimem Apostolatus dignitatem vocatus fuit; Saul pariter in Regem violenter quasi est unctus, quia ne exaltaretur, sese abscondit; et tamen, inquit S. Basilius: « Si, qui delatam sibi gloriam acceperunt, condemnati sunt, sine controversia, qui ultra sibi non delatam acquirunt, gravissimo ultra quam dici potest, judicio plectentur. »

*Et qui se humiliat, exaltabitur.*

3. — « Id est, » inquit Carthusianus, « qui veram humilitatem fuerit amplexatus, propriam parvitate et defectuositatem causando, se culpando, seque coram Deo deprecando et prosternendo, et ejus misericordiam jugiter implorando. »

4. — Advertendum quoque est, quod similiter de humili dicatur: *Qui se humiliat; non vero, qui humiliatur*; quia virtus humilitatis debet esse voluntaria et interna; si enim humilem esse ab aliis dependeret, quomodo unquam hanc virtutem consequi possemus aliis invitis? jam enim in nostra non foret potestate; at vero non est ita, omnino enim dependet a nobis, ac proinde cum honor et gloria, ad humilitatis et proprii contemptus proportionem incrementa accipiat, certi et securi simus, quod quanto magis nos humiliaverimus, tanto quoque magis exaltandi simus; non ita accidit superbo in cuius manu non est honorari vel æstimari, cum honores ab ipso præstati ab aliena pendeant voluntate, ac proinde difficile illis est, ut fines suos assequi possint; verum enimvero valde in hac materia notandum est sequens utile documentum, nimirum quod nonnunquam sub profunda quadam humilitate tegi possit insignis superbia, tunc scilicet, quando quis ideo se abijcit et contemnit, ut magni ab aliis æstimetur, ac proinde Albertus Magnus ait: « Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. » S. Bernardus quoque nos docet, quod tunc vere nos humiles simus, quando omnibus virtutibus vere ornat, omnibus nos virtutibus destitutos esse existimamus: « Magna et rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias et manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere et contemptibilem reputare; hoc ipsis virtutibus mirabilis judico. » S. Hieronymus, in Epistola IV. de S. Paula ait: « Quanto plus se depreciebat, tanto magis a Christo sublecebatur; latebat et non latebat, fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur et appetitores sui deserens, appetit contempiores. » Mundus, qui cor et oculos suos in dignitates defixos tenet, easque æstimat, omnique conatu venatur, obstupescit et admiratur illos, qui, cum similes dignitates habere possint, easdem nihil æstimant. Salutare proinde est illud D. Chrysostomi monitum: « Si gloriæ amator es, eam fugias et

« habebis; nihil enim æque solet admirari homines atque eum, qui non sustinens celebrari, omnia ista contemnit. » In sacris pariter et profanis historiis minime celebrantur, qui honores quæserunt et oblatos libenter amplexati sunt; bene tamen illi, qui omnia, ne eos acciperent, quæsierunt effugia; hæc repulsa in summam eedit gloriam eorum, qui se ab iis omnino alienos esse probarunt. Aurea proinde est illa S. Bernardi sententia: « Humilitas in honore, honor est ipsius honoris et dignitas dignitatis; omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignatur. » Idem quoque mellifluus Doctor ad Christum se reflectens, qui, priusquam ad dexteram Patris sederet, descendit primo in inferiores partes terræ, imo in ipsam inferni abyssum, dicit: « Ego autem credo, eum in hoc ipso, quod descenderit, ascendisse; sic enim oportebat Christum ascendere, ut nos ascendere doceremur; cupidi quidem sumus ascensionis, exaltationem concupiscimus omnes, nobiles enim creatura sumus et magni cuiusdam animi, ideo que altitudinem naturali appetimus desiderio; » at vero idem S. Doctor paulo post, modum ascendendi nos docet, qui similis debet esse illi, qui Christus ascendit, qui prius se humiliavit: « Qui alte vadit, » inquit, « cadit potius quam ascendit, quia sola est humilitas que exaltat et per humilitatem ad sublimitatem ascenditur, quia hæc est via et non alia præter ipsam. »

**Additio.**

a. — *Quis omnis qui se exaltat humiliabitur.* Hæc ex superioribus Evangelii verbis verissima esse patet, quoniam superbo, qui primum locum occupat, dicitur: *Da huic locum*; et incipit cum rubore novissimum locum tenere. E contra vero, humili qui sedet in novissimo, ait Dominus: *Ascende superius*: quod idem est ac si humiliet eos qui se exaltant, exaltet humiles qui in novissimo sedere eligunt. Adverte tamen quod non dicitur: *Omnis qui exaltatur, sed: Omnis qui se exaltat*, id est, exaltat seipsum honores ambiendo et negotio humano principatum obtinet. Non enim potestas, et status, sed elatio in crimine est, et hanc ipse Deus aversatur et punit. Sapiens ex instinctu Spiritus veritatis hoc reliquit scriptam, *Prov., xv, 25: Domum superbiorum demolietur Dominus.* S. Gregorius Magnus reddendo rationem roine superbiorum, hunc adducit Psalmi lxxii versum: *Dejecisti eos dum alleverunt*; et addit: « Non ait: *Dejecisti eos postquam elevati sunt, sed dum alleverunt*; quia hoc ipsum fit superbis interius dejecti, quod eis falsum contingit gloria exterius elevari. » Postquam in progressu ejusdem capitis dixisset: « Valde superbia est, impio de auctore sentire, » asserit: « Impius in loco suo conteritur, quia ipsa superbia quæ elevatur, opprimitur. » Et *lib. I. Epis., v, ait*:

« Elevatio ipsa ruina est, quia dum gloria falsa subnixi sunt, a gloria vera evacuantur. » Vera propterea ac propria est similitudo illa, quam adducit S. Chrysostomus: « Quemadmodum aquaticæ

« ampullæ facile rumpuntur, ita et illi facile per eunt. » Quando videtis superbos maxime tumidos, tunc scitote eos protinus dirumpendos.

**DOMINICA SEPTIMADECIMA POST PENTECOSTEN**

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XXII, VERS. 35

35. Interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum.  
 36. Magister, quod est mandatum magnum in lege?  
 37. Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.  
 38. Hoc est maximum et primum mandatum.  
 39. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.  
 40. In his duobus mandatis universa lex pendet et Propheta.  
 41. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens:  
 42. Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Dicunt ei: David.  
 43. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens:  
 44. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.  
 45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?  
 46. Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

VERSUS 35.

*Interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum.*

1. — Postquam Sadducei, qui secta quedam hereticorum erat, animæ immortalitatem et corporum resurrectionem negantes, Salvatorem prius per ludibrium de dubio quodam interrogassent, ipsi vero ex responsione a Domino data, cum magno circumstantium applausu obmutuissent, invidi Pharisæi simul congregati, tentare conati sunt, ut ejus per hoc apud vulgus comparatam dignitatem et fidem diminuerent, ipsam vel ignorantem convincendo, eo quod sperarent, ipsam ad quæsitæ eorum respondere non posse, sagacissimum ex toto suorum numero, in hunc finem elegerunt, qui eum subtili quadam interrogatione proposita aggredere. Jansenius putat, Pharisæos festivum exhibuisse gaudium, eo quod Sadducei, ipsorum adversarii, a Christo confusi et convicti essent, licet plurimum ipsis displiceret, fama et existimatio, quam Redemptor noster, exinde penes populum sibi conciliarat: « Invidia quadam contra Dominum incitata, » convenientes in unum, consultaverunt inter sese de quadam questione, etiam a se Domino proposita, ut si forte ad eam non apte responderet,

« minueretur apud populum admiratio prudentiæ ejus et majorem apud populum ipsi consequerentur honorem et laudem. »

2. — Scriptura ipsorum multos numero congregatos fuisse referit; Carthusianus quoque scribit: « Venerunt multi simul, ut multitudine vincerent, quem ratione non poterant; » verumtamen ex toto numero unum tantum elegerunt, qui Christum aggredere; quem vero in hoc consilio finem spectarint, S. Anselmus egregie dirigit, dum ait: « Dicitur apud se: Loquatur unus pro omnibus et omnes loquamur per unum, ut si quidem vincit, omnes videamur viciisse, si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. »

3. — « Ex immodica invidia accedit tentans, » ait Theophylactus, « quia enim viderant Sadduceos confusos et laudatum Dominum ob sapientiam, accedunt tentantes, si apponat aliquid mandato primo, quasi legem corrigens, ut inveniatur contra ipsum ansam; » ac proinde qui benefactori suo grati esse debebant, ipsam pro viribus suis persecuti; sciendum est etenim, Christum Pharisæis gratius præstare non potuisse obsequium, quam factum Sadduceorum adversariorum suorum reprimendo, eosque confundendo, ac proinde grati erga ipsum esse debuissent, et tamen ex propria invidia stimulari, magis contra ipsum exasperati fuerunt, quia

Christum laudem et existimationem inde apud populum retulisse viderunt; est enim invidi proprium, ex præsitiis ei beneficiis magis irritari, livoremque adversus alterius honorem et gloriam concipere; imo ut D. Chrysostomus ait, « multo magis aliena gloria offendit invidos, quam proprium damnum, » omnem proinde rumpunt gratitudinis legem; prout in Saule apparet clare, qui licet tot a Davide beneficia acceperat, spiritumque malignum, quo obsessus erat, ab eo depulerat, et tamen suo malo obnoxius manere mallebat, quam bona et gratias Davidi a Deo collatas, in eo aspicere.

4. — Auctor Imperfecti varias nobis in memoriam revocat, Christo a Phariseis sepe malitiose propositas interrogaciones, quæ tamen in nostram cesserunt utilitatem: « Judei diversis interrogacionibus Christum tentantes, sibi quidem acquisiverunt interitum, nobis autem providerunt salutem, nam verba Christi illis profeecerunt ad confusionem, nobis autem ad edificationem. »

5. — Jansenius considerat, quantum se Pharisei ab invidia excecari permiserint, utpote qui se alias sapiens ab illo confusus fuisse recognoscere non poterant; unde ait: « Hæc tum gloriæ Christi invidia; tum propriæ gloriæ et ostentationis cupiditas in eos excecavit, ut non viderent spem eorum vanam esse et impudentem; » jam enim, ut S. Hieronymus advertit, sæpe a Christo rejeeti et in consiliis suis delinxi fuerant; quando tributum denarium ad eum attulerunt, jam quoque paulo ante audierant, qualiter Sadducei in suis ei propositis interrogacionibus turpiter convicti et confusi fuissent, ideoque: « Debuerunt ex hoc moveri, ne ultra molirentur insidias; sed malevolentia et livor nutrit impudentiam. »

6. — Quis non sperasset futurum esse, ut qui ad Verbum divinum et verum justitiæ Solem tam proprie accedebant, illorum essent dissipandæ inscitia et cæcitas tenebræ? *Accedite ad eum et illuminamini*; al inter ipsos et divinam hanc lucem, terra se interposuit invidiæ, malignitas scilicet et perversa intentio, qua adversus eum ferebantur; interrogare, ut sciamus et discamus, opus est laudabile et sanctum; at vero interrogare, ut malignemur, res est diabolica; quænam obsecro causa est, cur veram sapientiam non addiscamus? *Semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes?* nimium quia cor purum et rectum non habemus, quod ad discendum omnino requiritur: *Cum simplicibus sermocinatio ejus. Prov. iii, 32.*

7. — S. Thomas illos excusari potuisse existimavit, eo quod questionem hanc non fine maligino proposuerint, sed solum ut doctrinæ Christi veritatem experirent; unde ait: « Sciendum, quod aliqui tentant in eo, quod non sunt certi; » nam quod Ecclesiasticus, xix, 4, ait: « *Qui cito credit,*

*levis est corde*; iste igitur cum multa audisset de Christo, voluit experiri si talis esset, et hæc tentatio non esse mala; » nihilominus Glossa Interlinearis vocem *tentans eum*, per hæc exponit parapsin: « Non scire desiderans. » Lyranus pariter ait: « *Tentans*, capere scilicet in sermone; » pro alia verò parte auctoritatem citat S. Marci, referentis, Christum illi respondisse: *Non longe es a regno Dei*. Ubi Glossa ait: « Potuit fieri, ut, qui tentans venit dominico responso conversus sit, » et Lyranus ipse scribit: « Dicendum, quod iste in principio venit mala intentione cum aliis, sed postea audita Christi responsione vera, penituit et Christi responsionem approbavit, dicens: *Magister in veritate bene dixisti*; et tunc Christus videns ejus ponitentiam intulit: *Non longe es a regno Dei*. » Theophylactas pariter ait: « Principio quidem venit tentans, deinde responso Christi emendator factus. » Pari quoque modo hodie sepe fit, quod quis prædicationis Evangelicæ audiendæ causa, sinistra cum intentione Ecclesiam adeat vel ob curiositatem, vel ut vanis se objectis delectet, vel ut Prædicatorem derideat et tamen Deus cor ejus tangat, eumque ad veram compunctionem perducat.

#### Adiciones.

a. — *Accesserunt ad Jesum Pharisei. Et interrogavit eum unus ex eis.* Sadduceis resurrectionem negantibus, in sua questione proposita, silentium imposuit Dominus, efficaciter ex Scriptura futuram resurrectionem demonstrans, ita ut ipsi amplius non auderent replicare. Tunc Pharisei, qui alias maxime contrarii erant Sadduceis propter resurrectionem, fiunt amici cum iisdem, et conveniunt adversus Christum, sicut Pilatus et Herodes, in nocte passionis Christi. Et ex omnibus legis Doctoribus, unum sagaciorum ceteris eligunt, eo fine, ut si ille vinceretur, alii non confunderentur; et si iste vinceret, omnes in eo gloriarentur. Gloriæ volebant esse participes, ignominie vero expertes; utque felicius victoria a parte eorum stet, callida simulatione ille unus nomine omnium accedit. Sed sicut in eo omnes victi et confusi sunt, ita et ille legis Doctor, qui principio accessit tentans, Domini tamen responso emendator factus, laudatus est a Christo apud Marcum: *Non longe es a regno Dei*. Sic quippe ille legis Doctor emendatus est ex divini Magistri responsione, ut et nobis non parum accesserit emolumentum. « Frequenter Judei, » ait S. Joannes Patriarcha Jerosolymitanus, « diversis interrogacionibus Christum tentantes sibi quidem acquisiverunt interitum, nobis autem providerunt salutem. Illi quidem diversis illis interrogacionibus, malitiæ suæ certa dant argumenta; Christo autem utilissimæ, nobisque omnino necessarie doctrinæ proponendæ dederunt occasionem. »

Interrogantibus enim de magno mandato legis, charitatis præceptum et modum proposuit, dicens: *Diligite hominam Deum tuum ex toto corde tuo*. Sic varia emolumenta et commoda, ex ipsis etiam tentationibus resultant. Non sine mysterio est verbum illud, quo utitur S. Paulus, I Cor., x, 13, tractans de commodis et emolumentis ex tentatione resultantibus: *Faciet cum tentatione proventum*. Proventus dicitur certa quedam et securæ assignatio alicujus redditus fundati super exactionem aliquam, quæ deficere nequit, quæque elocatur, et exigitur cum certitudine. Voluit ergo Apostolus, calculo meo, ut hæc phrasi, ut fideles certificaret de emolumentis, quæ proveniunt ex tentationibus, quas divina auxiliante gratia superamus et evincimus. « *Proventus*, » exponit Hugo Cardinalis, « gratiæ augmentum. » Citat Glossam, quæ est S. Augustini: « Qui dat tentanti diabolo licentiam, ipse dat tentatis misericordiam. » Præmittit Apostolus istam protestationem: *Fidelis autem Deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Non solum ponderat vires nostras: *Spiritu ponderator est*; neque permittit etiam ut assultus demonis nostras vires superent; verum insuper cura ei est præcipue de nostro profectu. Quamobrem exhortatur nos Blosius, eximus et magnus Magister spiritus, Ordinis S. Benedicti: « Nihil dubites, si tuæ salutis conducere, quoque honori congruere viderit, efficiet, ut vitiorum rubiginem, quas in initiis melioris vitæ vix ferrea, » ut ita dicam, lima eradis, postea etiam levissimo latu decutias atque propellas. Quod si volueris, » te gravi certamine exerceri, priusquam ipsa vitia, » efferatosque animi motus perfecte in te possis subigere; si, inquam, etiam ad extremum vite terminum domesticos illos hostes tibi molestos esse permiserit, nequaquam mente consterneris, » sed plenus fide patienter, manum ejus sustine, » voluntatemque hilariter amplectere. » Ignoramus id quod æternæ salutis nostræ utile est magisque expedit; illud tamen Deum non latere, nobis sciendum est, qui *faciet cum tentatione proventum*. In institutionibus spiritualibus idem auctor nobis significat, qua ratione, quantoque tempore Deus in nobis continet bellum tentationum: « Propter tentationes occurrentes, ipse ascelo non frangatur animo; nam virtutum perfectio strenua decertatione comparatur. » Utiliter in nobis Deus relinquit propensiones vitiosas; ideoque enim hoc facit, ut non modo viriliter illis resistentes, legitimeque pugnantes, gloriose aliquando in celo coronet. Non expedit, ut omnes cito absque tentationum impugnationibus ad perfectionem perveniant; neque enim solet seges extimium fructum proferre, nisi prius asperitatem hyemis perferat.

Gerson magnus Cancellarius Parisiensis, refert in compendio, nonnulla commoda, utilitatesque ex

tentionibus provenientes: « Sex nobis utilitates generaliter tentatio: *Prima*, ut reminiscamur multitudine nostre fragilitatis. *Secunda*, ut agnoscamus, quod necessarium nobis sit divinum auxilium. *Tertia*, ut appareat, si vere Deum diligamus, » propter quem talia superare contendimus. *Quarta*, » ut occasione hujus tentationis, etiam alia vitia corrigamus, de quibus ante non multum curabamus. *Quinta*, ut modo sit nobis pro poena, et quasi pro satisfactione, quod olim fuit in turpi delectatione. *Sexta*, ne de donis gratiæ quæ accipimus, superbiamus: quod forsitan accideret, si sæpe sine tentatione viveremus. »

*Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationibus variis inciditis. Jacob. i, 2.* Quæ verba S. Jacobi infinita consolatione referat sunt, præcipue vero illis inseruntur, qui contra voluntatem suam tentantur. Magnum emolumentum et lucrum est, in presenti vita tentari ab hostibus invisibilibus. « Sicut enim ab uno fonte, » dicit S. Justinianus, « plurimi manant rivuli, ita et de tentationibus multifariæ utilitates proveniunt. Nemo cum tentatur desperet et propriæ salutis languescat » fiducia. Tentationem nullus abhorreat, quoniam ex tentatione perficitur virtus, augetur merces, probatur anima, accrescit scientia, magnanimitas » exerceatur, homo interior roboratur, purgantur » vitia et merita cumulantur. » Accumulamur merita regni cælestis, resistentes tentationibus et insuper purgantur vitia; idque jam pridem docuit nos D. Chrysostomus, *Hom. ix in Matth.*, dicens: « *Justitia in tentationibus floret, in prosperitate autem marcescit*. Quemadmodum focum si » posueris super terram, comburitur ipsas radices » herbarum, ut in loco isto, jam non facile noscatur herba: sic et tentationis ignis positus super » carnem, comburitur radices concupiscentiæ in ea, » ut non facile concupiscent. » Verum est quod tentatio existimulet provocetque concupiscentiam nostram sensualem: *Stimulus carnis colophizatus me*, dicebat Apostolus, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; nihilominus si aliunde resistamus strenue, suffragante Dei gratia, stimulos illos superare possumus, quemadmodum illos superaverunt S. Thomas Aquinas et S. Philippus Neri, post gloriosam victoriam de infamibus illis mulieribus.

b. — In questione proposita silentium fuerat impositum Sadduceis, et tamen exinde Pharisei conveniunt ad Christum interrogandum: « Debuerunt quidem, » ait S. Chrysostomus, *Hom. xliii*, « Phariseos timere Sadduceorum exemplum, ut non similiter interrogantes confundantur. Sed » ardens malitia, dum sauciare festinat nos, aspici » exitum rei, ut tantummodo alteri noceat. » Valde fatua est malitia, quæ in alieno capite experimentum non sumit, ut sibi noxia valeat deviare. Vide-

rant Pharisei Sadduceorum exemplum, qui cum Christum interrogarent, ab ipso devicti ac superati, obmutescere recesserunt : Cur adhuc audent interrogare et similem eventum non timent? » Ardens « malitia, dum sauciare festinat, non aspici even- « tum rei; nam cæco affectu ducitur, ut proprium « damnum non videat nec cogitet. » Peccatum enim stultitiam inducit et hominem omni iudicio et ratione privatum demonstrat. Propheta Regius, hominem atheum, sine ullo metu et rotundo ore stultum appellat, *Psal. xiii, 1* : *Dicit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Neque enim in dubium revocari potest quin peccatum intellectam excæcet, lumenque rationis et discursus plane obfuscet; nam, *Psal. xlviii, 13* : *Homo cum in honore esset non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similibus factus est illis.* Unde non obstante quod Adamo a supremo Artifice ingentia infusa fuerint perfectissimæ scientiæ et sapientiæ dona, nihilominus propter peccatum in tantam degeneravit stoliditatem, ut se divinitatem acquirere posse, sibi persuadere permisit, dummodo pomum arboris vitæ manducaret. Numquid igitur de illo dici potuit : *Comparatus est jumentis insipientibus*, quando fraudulento serpenti majorem quam primæ, æternæ et infallibilis veritatis fidem exhibendam esse censuit? Postquam Adam præceptum Dei prævaricatus fuit, erubescens comparare coram Deo, qui formaturus contra rebellionem illius processum, in Paradisum descenderat, in medio arborum quæ ibi plantatæ erant, sese abscondit, dicente sacro textu : *Abscondit se Adam et uxor ejus, a facie Domini, in medio ligni Paradisi.* Qua in re Adam novam ostendit stoliditatem, quod scilicet crederet possibile sibi esse ut a Deo occultare se posset, cum tamen Psalmista, *Psal. cxxxviii, 7*, dicat : *Quo ibi a spiritu tuo, et quo a facie tua fugium? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumperio pennas meus diluculo, et habitavero in extremis maris : etenim illuc manus tua deducet me.* Numquid sciebant verissimum esse quod ait Apostolus, *Act. Apost., xvii, 18* : *In ipso vivimus, movemur et sumus.*

Quin Ecclesiastes, cum dicit, *cap. 1, vers. 14* : *Stultorum infinitus est numerus, stultorum nomine impios peccatores intelligit, dubitari penitus non potest, quia paulo ante dixerat : Perversi difficile corrigantur; ac proinde immediate subiungit : Et stultorum infinitus est numerus.* Porro Cornelius a Lapide notat Sapientem non sine causa difficilem esse censuisse perversorum emendationem, quia cum ad respicientiam prærequiritur præcognitio miserabilis illius status, in quo sunt; ad id faciendum, iudicium ipsis non suppedit sufficiens, unde ait : « Dat causam cur perversi difficile corrigantur, quia scilicet stulti sunt. » Idem Cornelius in his qui Deum offendunt, aliam observat stultitiam, inquit : « Peccatum est summa stultitia, quia

« sensum rationi, cupiditatem virtuti præponit, « creaturam Creatori; id est, obolum milioni, gut- « tam mari, globulum terræ toti cælo; quid stul- « tius? » Idem Salomon in capite sequenti ait : *Sapiens oculi in capite ejus; stultus in tenebris ambulat.* Enimvero si quis esset qui oculos libentes in calcæneo quam in capite positos haberet, cuique gratius esset ambulare in tenebris, quam in claro lumine, hunc tu utique stultum esse existimares. Talis autem est homo perversus, cui parum curæ est, an oculos in capite positos habeat, id est, an iudicio, discursu et usu rationis sit præditus, quia pro duce et directore operationum suarum sensualitatem, non vero rationem eligit : *Qui enim male agit, odit lucem.* Dionysius Carthusianus dicit : « Stulti vocantur in Scripturis, omnes qui in mor- « tali sunt culpa, quia in illis insipientia regnat; « quoniam summo, infinito, et invariabili bono « præferunt vana, carnalia et caduca; sicut pueri « poma et pyra, auro et gemmis præponunt, sic « ipsi insensibilia et terrena spiritalibus et divi- « nis. » Esau vera fuit peccatoris a Deo reprohati effigies : *Esau odio habuit.* Hunc autem, amisso iudicio, stultum factum esse, ex ea deduci potest actione, quæ Jacob fratri suo, pro vili lentis edulio primogenituram suam dividendi, nec minus est stolidus quilibet alius peccator, qui pro unico pulmento, celesti se hereditate privare non dubitat, prout illi faciunt, qui a gula sua irreliti, præceptum jejunii temere transgrediuntur. De quibus Deus apud Ezechielem, his verbis lamentatur : *Violabant me propter pugillum hordei et fragmen panis, ut interficerent animas.* *Ezech., xiii, 19.*

e. — Magna inter Sadduceos et Phariseos erat dissensio, resurrectionem concernens mortuorum. Quibus in sua questione proposita, silentium imposuit Dominus, efficaciter ex Scriptura futuram mortuorum resurrectionem demonstrans, ita ut ipsi amplius non auderent replicare. Nunc autem quæri posset, quomodo intelligendum sit hoc silentium impositum Sadduceis? Ad quod respondet Origenes, *tract. xxxiii in Matth.* : « Sicut enim, » ait, « proprium justi est tacere, cum sit tempus tacendi et loquendi, non tamen obmutescere; sic proprium est omnium, qui mendacii sunt doctores, « obmutescere quidem, quantum ad rem, non « tamen tacere. » Silentium imposuit Jesus Sadduceis, ostendens quod omnem mendacii vocem obmutescere faciat, una clara veritatis vox; et mendaces in consiliis suis spe sua cadunt, perdunt omnem fidem. S. Ephrem illos qui mendaciam dicendis assuescent, omnem apud homines fidem amittere considerat inquit : « Qui delectatur in « mendaciis, hic in verbis suis omnem perdet auc- « toritatem; odibilis enim Deo pariter et hominibus « redditur; versutus ac versipellis est homo men- « dax. Nullum est hoc majus animi vulnus, nul-

« lumque eo dedecus gravius, homo enim mendax « ab omnibus rejicitur, ab omnibus irridetur. » Et merito, nam sublata a commercio humano veritate et sinceritate, consequens est ut fraudes et doli ubique regnent, nullusque suo fidere possit contubernali; ac proinde mirum non est, quod hi qui mentientem artem profitentur, digito ostentantur ab aliis, et tanquam abominabiles fugiantur ab omnibus, nec ulla eis fides adhibeatur. Aristoteles aliquando interrogatus, quoniam emolumento vir mendax ex mendacio gaudeat, respondit, quod etiam veritatem dicenti nemo credit. Unde S. Hieronymus pariter inquit : « Antiquus sermo est : « Mendaces faciunt ut nec vera dicentibus creda- « tur. » Philo de illis, qui ut fidem apud alios inveniant, proclives et faciles sunt ad jurandum, ita scribit : « Quasi evicturi sint crebris jurationibus « ut sibi credatur; fatui, qui non intelligunt con- « suetudinem crebro jurandi, argumentum esse « perfidie, non fidei, duntaxat prudentiorum judi- « cio. » Mendaces enim fidem sibi minime adhiberi videntes, ut se ab hac confusione et mala fama expediant, dictaque sua credibilia efficiant, jurant et perjurant, et consequenter magis se exosos reddunt, fidemque et bonum nomen apud prudentes magis amittunt; quia ut S. Basilius ait : « Turpe « est et omnino stultum sese ut fide indignum ac- « cusare, et ad juramenti securitatem confugere. »

## VERSUS 36.

Magister, quod est mandatum magnum in lege?

## Magister.

1. — Auctor Imperfecti hunc Phariseum epitheto quodam compellat, *Hom. xliii*, per quod ei dupliciter et malignitas salis aperitur; vocatur enim ab illo « simplicissimus interrogator et malignissimus « insidiator; » finis enim interrogationis ad responsi a Christo dandi censuram tendebat, quod ut a Christo facilius obtineret, adulatione viam sibi sternit : « Laudat, » inquit Albertus Magnus, « ut « decipiat incautum; » cæterum vero, nullum habebat a Christo aliquid discendi, sed potius eum decipiendi desiderium. Unde S. Anselmus ait : « Magister vocat, cujus non vult esse discipulus et « non scire desiderans, sed tentans. »

## Quod est mandatum magnum in lege?

2. — Dionysius Carthusianus tempus indicat quo Christo hæc interrogatio facta fuit, nimirum primo die, postquam illi cum olivis et palmis obvium processerant. Beda in hujus Evangelii homilia notat, ex hisce verbis argui posse, quod inter Scribas et Phariseos non satis convenerit, quod esset primum et præcipuum legis præceptum. Carthusianus, super Matthæum, perpendit, quod triplicis generis præcepta lege comprehensa fuerint, nimirum « mora-

« lia, judicialia et ceremonialia et in quolibet « genere mandatorum istorum erant gradus dici- « versis, seu ordo digitalis. » S. Hieronymus dicit, hæc interrogationem eo spectasse, ut quodnam præcipuum inter alia præceptum esset, investigarent : « Non de mandatis interrogat, » inquit, « sed « quod sit primum mandatum, magnamque, ut « cum omnia, quæ Deus mandavit, magna sint, « quidquid ille respondeat, occasionem habeat « calumniandi, » Lyranus existimat, quod Scriba hic « credebatur, quod statim responderet de man- « dato primo tabule. *Non habebis Deos alie- « nos*, et tunc habuisset contra eum de præcepto « charitatis, quod est majus. » Beda diversitatem refert opinionum, « quibusdam hostias et sacrificia « laudantibus, aliis vero majori auctoritate et fidei « dilectionis opera præferentibus, » et Salvator ipsemet in S. Marco de hoc præcepto dilectionis expresse declarat, dicens : *Majus est omnibus holo- caustomatibus et sacrificiis.* Hugo Cardinalis per adductum D. Chrysostomi auctoritatem, Phariseum hunc imprudenter arguit dicens : « De magno « mandato interrogat, qui nec minimum observat, « ille debet interrogare de majori justitia, qui jam « minore convalevit. »

## Additio.

a. — Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ex interrogazione qua Legis peritus ille, ex Salvatore nostro sciscitabatur, inquit : *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* colligi videtur Hebræum populum non satis plene discernere potuisse inter præceptum aliquod graviter obligans, et alius minus momentum in se continens; nec habuisse discrimen inter peccata quoad præceptorum illorum transgressionem. Et vero si causam requiras, cur Deus hæc declarationem non fecerit in lege scripta, quam S. Augustinus « sarcinam « innumerabilium observationum, » appellat; respondebo, ideo id factum non esse illa in lege, ut scilicet tam in præceptis gravibus, quam in aliis minoris momenti æque promptique obediunt, neque observantia legis dediti essent, propter gravitatem majorem vel minorem rei præceptæ, sed principaliter propter auctoritatem et majestatem præcipientis, utpote cui omnis debebatur in utrisque præceptis obedientia. Qui ingenui sunt animi, metuant Deum offendere, etiam in minimis, quia non respiciunt ad peccatum, quod parvum reputatur, sed ad ipsum Deum, qui magnus est, et de minimis etiam rationem exigit; sicut et contra qui hoc non curant, abjectos et ignobiles se produnt servos, qui nolunt parere Domino, nisi grandia imperet, aut stricto gladio minisive eos terreat. « Lotus est qui « gravia peccata non habet, » ait S. Bernardus, *Serm. 1 in Cena Dom.*, « cujus caput, id est, inten- « tio, et manus, id est, operatio, et conversatio

« munda est; sed pedes, qui sunt animæ affectio- nes, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi « esse non possunt, quia aliquando vanitati, ali- « quando voluptati, aut curiositati, plus quam « oportet, cedit animus ad horam. » In multis enim offendimus omnes. Verumtamen neminem contem- nat, aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui, nisi per Jesum Christum et a Christo. Nemo, inquam, perniciose securitate dormitet, declinans in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam, ut audivit Petrus: Nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo.

## VERSUS 37.

*Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.*

*Ait illi Jesus.*

1. — Hoc loco non importune quæri potest, cur Salvator ad hanc interrogationem responderit, quam ex malignitate et animi livore propositam esse sciebat, maxime cum in hoc eodem capite, versu 19, cum indignatione aliqua iisdem responsum dederit, dicendo: *Quid me tentatis, hypocritæ?* Jansenius ait: « Interroganti non dedignatus est « respondere, tum ob fructum quem prævidebat, « hic etiam in tentatore Scriba preventurum; tum « quod magisteri ejus professio, non sinebat eum « silere, aut responsum declinare, ne, qui magis- « trum se quotidie in templo exhibebat, videretur « ignorare id, quod imprimis Doctorum est cognos- « cendum. » Non desunt, qui credant, hunc legis- peritum bono fine interrogasse, licet ab invidis con- sodalibus, quorum perverse intentionis minime conscius erat, sollicitatus fuerit, ipsumque præ cæteris tanquam virum magis simplicem, et solum, tanquam interrogationis instrumentum, selectum ab illis fuisse, ac proinde benignissimum Salvato- rem, qui sciebat, quod esset in homine, ei respondisse ipsiusque desiderii satisfecisse; observari quoque hoc loco potest, quod, tametsi malo ac perverso animo et intentione accessisset, Christus tamen ejus respicientiam ac emendationem prævidens, per hanc responsum suam, necessarium ad eam auxilium subtrahere noluit; præterquam quod in- super dicere possumus, Christum respondendo, utile dare voluisse documentum iis, qui in hoc alto et sublimi verbi divini ministerio et in animarum eruditione successuri erant; nimirum ut contemp- tui et injuriis recipiendis parati essent, nec tamen ob id a prosequendo animarum servitio desisterent. Unde Theophylactus super illa Matthei verba: *Beati estis, cum maledixerint vos*, inquit: « Ad ipsos Apo- « stolos se convertit, ostendens, quod maxime pro- « prium sit Doctoribus opprobria audire. »

## Diliges.

2. — Deus noster solum a nobis amorem re- quirat, prætereaque nihil: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi*; neque enim petitionem aliquam homini pro- ponere poterat, quæ ad unumquemque magis esset adæquata, aut consummata magis, aut magis faci- lis, aut lucrosa minus, quam amoris nostri petiti- onem; si enim eleemosynam petisset, hanc forte pauper, suam dicere potuisset excedere facultatem; si poposcisset jejunium, excussissent se operarii; si orationem, excepisset infirmus; si animarum conversionem, idiota dicere potuisset, se necessario ad eam talento carere, sed quis se, quo minus amet, excusare poterit? quidquid rerum Deo done- tur, in ipsis positum est potestate et dominio, sola nostra excepta voluntate, cum ipse nobis illius cesserit dominatum, quisquis cor illi donat, omnia tribuit; quid igitur facilius est, quam amare.

3. — Verum quamobrem Deus hominem per rigidum præceptum sub damnationis æternæ pena ad amandum astringere voluit? num forte in du- bium revocare poterat, ne illum non amaret, aut ne cor adeo ingratum haberet ut erga Deum suum, qui ejus et creator, et redemptor, et benefactor est, quique ei quoddam æternæ beatitudinis regnum præparavit, omnis expertus esset amoris? Profecto summa, quæ excogitari potest, hominis confusio est, quod cuivis affectui versus omnes creaturas lo- cum cedat, soli vero Deo creatori suo eundem exhibere negligat; quodque ipsius etiam equos, canes et alia vilia animalia diligamus, Deum vero non amemus. Oleaster perpendens, quod petra in deserto, imperantis Moysis voci obediens, aquas crystallinas limpidasque copiose profuderit, exclamat, dicens: « Omnia insensata dant Deo suo et « creatori, quidquid ab eis postulaverit, etiamsi id « sua natura non habeant; solus homo negat Deo « suo, quod Deus ab eo petit, nempe amorem et « præcordia sua; ferreus et plus quam lapideus es, « si dante petra aquas Deo et populo, tu non des « Domino Deo tuo cor tuum. » Evangelica veritas est, quod *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, Rom., v, 5; ideoque excusare nos non possumus, dicendo, divinum amorem cordi nostro minime fuisse in- fusum, ut per illum diligamus Deum; sed quanti hunc divinum nobis infusum amorem æstimavi- mus? nimirum illum pro mundi amore ab inimico infernali e cordibus nostris eripi permissum, nam ut Lyranus ait: « Cor hominum non potest simul « capere Deum et diabolum, sed suscepto diabolo « per peccatum, exit Deus; suscepto Deo per chari- « tatem, exit diabolus. »

4. — Enimvero quantum præceptum hoc in se facultatem habeat, Deus ipse in Deuteronomio, xxx, 11, perspicuis verbis declarat, dum ait: *Mandatum*

*hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in celo situm, ut possis dicere: Quis nostrum vult ad cælum ascendere, ut debeat illud ad nos? neque trans mare positum, sed juxta te est, in corde tuo. Quid obscuro, amore facilius aut delectabilius excogitari potest? S. Bernardus, Sermon. lxxxv in Cant., ait: « Ubi amor est, « labor non est, sed sapor. » Id quod S. Augustinus pulchre in renatore et piscatore exemplificat, qui propter gustum, quem in capta præda experiuntur, nulla prorsus sentiant laborum incommoda: « Nullo « modo sunt onerosi labores amantium, sed et ipsi « delectant, in eo, quod amatur, aut non laboratur, « aut et labor amatur; vide, quam pendendum sit, si « delectat labor, ut fera capiatur, et non delectet, « ut Deus acquiratur? » Divus Chrysostomus, Hom. xii in I ad Cor., excellentiam, qua charitas omni- bus aliis virtutibus supereminet, his verbis consi- derat: « Charitas cum lucro voluptatem ingentem « habet laborem nullum, cum cæteræ virtutes con- « junctas molestias habeant. »*

5. — S. Joannes, qui divini amoris secretarius fuit, efficacissimum ad Deum amandum nobis suggerit motivum, dum ait: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos*. I Joan., iv, 19. Deus eodem infinito et increato amore, qui est Spiritus Sanctus, quocum Pater et Filius se invicem amant, eodem inquam, nos vilissimos terræ vermiculos amare dignatur; nam ut S. Thomas ait: « Pater et « Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto, et se et « nos. » Ad hæc Deus prius nos amavit, cum tamen in nobis nihil inveniret nisi defectum, miseriam et malitiam, et quidem in eminentissimo amoris gradu nos dilexit: *Propter miramiam charitatem suam, qua dilexit nos*. Eph., ii, 4.

6. — *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Psal. cxv, 3. Motivum efficax amoris esse solent beneficia, quibus cumulamur, ac proinde mittamus obscuro in balancem innumera a Deo, nature, fortunæ ac gratiæ recepta beneficia, nec non et glorie, quæ in altera vita nobis promissa sunt. Ex parte vero altera, nihil nostrum ponderemus et certe inveniemus, nihil in facultatibus nostris, gratiarum actionis loco superesse quam amorem; hoc solo vices gratas rependere possumus. Imo ut Ri- chardus ait: « Non solum contulit nobis bona sua; « sed et pertulit pro nobis mala nostra, » et ideo, ut Ambrosius ait, nobis comparamus, nimirum quæ poterimus ad exsolvendum infinitum debitum, quo De obstringimur? « Vae mihi, si non dixerò; red- « damus ergo amorem pro debito, charitatem pro « minere; » et quidem uno eodemque tempore, quo huic debito satisfacimus, novum nobis lucrum comparamus, ita ut cum Eusebio Emiseno, Hom. iv in Eph., asserere possumus: « Salubri jucundo « que commercio et accipientis lucrum et tradentis « argumentum est. » Certum porro est, cor nos-

trum sine amore esse non posse, necessario enim alicui objecto, suo affligitur amore, ac proinde specialissimum Dei beneficium est, quod ipse nobis, ut nostrum in ipsum amorem dirigamus, præcipere dignatus sit. Scurtarius aque fontibus si deorsum naturaliter decurrere sinatur, stagnabit in locis palustribus, ibi corrumpetur et præterquam quod aerem inficiet, animalia insuper venenosus producet: At si in aquæductibus et canalibus constringatur et uniat, non perditur, sed tali arte cælum versus extollitur, amonisque hortorum plantis irrigandis deservit; et ideo S. Augustinus ait: « Aquam « amoris tui fluentem in cloacam, converte ad « hortum, » etenim si affectum nostrum ad crea- turas et ad nos ipsos amandos libere vagari permi- serimus, quot transgressionum amor proprius nos reos efficiet? At vero si illum in Deum transfera- mus, fiet in nobis *fons aque salientis in vitam æternam*. Amor noster juxta Dei præceptum rite ordi- natus, inestimabilis valoris gemma est, per quam, gratiam et gloriam secure acquirimus; hanc gem- mam prudens ille negotiator, de quo in Evangelio scribitur, *Matth., xii, 5: Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*, infi- nita cum cura inquisivit. S. Augustinus ait: « Hæc « est charitas, quæ sola sufficit. Vis scire, quam « sollicite hanc gemmam perquisierit? *Dedit omnia « sua et comparavit eam.* » Pro hoc amore nostro sibi conciliando, quidquid in terra et in cælo, pulchri et boni habet, imo semetipsum nobis largissime donavit; cui igitur hanc adeo pretiosam margari- tam vendemus? non illi, qui eam ingratus accipit, flocci facit et quod pro illa prætendat, in facultate sua non invenit? namquid igitur justum est, ut eam illi Deo extradamus, in quo sunt omnes thesauri? At vero quo putas sine Deo hoc cor et amore nostrum a nobis exposit? Non alio fine, quam so- lum in nostrum, non vero in suum lucrum: *Præbe cor tuum mihi; ego diligentes me diligo; mecum sunt divitiæ et gloria, ut ditem diligentes et thesaurorum eorum repleam*. B. Felix Capucinus matronam quam- dam Romanam, catellum suum micris blanditiis delinquentem religiose reprehendit, dicens: *O te felicem, si amorem quo bestiolam hanc prosequeris, in Deum dirigeres, quanto ampliori lucro, tibi remunerandus foret.*

7. — Aliud quoque magni ponderis lucrum, Deum amando, nobis comparamus, nimirum im- mensum et infinitum omnium criminum nostrorum debitum exstinguimus, nobisque eodem tempore, eoque brevissimo eminentissimos perfectionis et sanctitatis gradus adsciscimus, prout in Magdalena experti fuimus, quæ peccatis onusta et velut titio infernalis Pharisæi domum ingressa fuit: *Eccc mulier, quæ erit in civitate peccatrix*. Egressa autem est, ab omnibus peccatis, tam quoad culpam quam quoad penam, plenissime absoluta, atque

insuper ad sublimissimam divinæ gratiæ dignitatem ascendit; idque solum in virtute illius: *Dilexit multum*. Unde D. Chrysologus, *Serm. cxiv*, ait: « Conspicimus non solum caruisse in peccatis, sed « ad totum sanctitatis verticem pervenisse, » quia ut etiam S. Augustinus scribit: « Charitas est mors « criminum, vita virtutum. »

**8.** — S. Joannes omni adhibita immensa sua sapientia, ad hujus divinæ dilectionis fervorem nos excitare studens, nobilissimum advenire motivum nequit, quam ut asseret, quod amor ea virtute polleat, ut nos unum ideamque cum Deo efficiat, nosque cum Deo quasi identificet, *I. Joann.*, iv, 16: *Deus charitas est; qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo*. Et S. Augustinus, *Serm. xxv de temp.*, ait: « Amando Deum, efficiuntur Dei. » S. Franciscus qui filius mercatoris, humilibusque natalibus ortus et idiota erat, in hac amoris schola eousque profecit, ut quidam in carne Seraphinus et viva Dei effigies factus fuerit, cui Christus ut sibi similior esset, vulnera sua impressit. Unde S. Bonaventura de illo ait: « Amor in eandem imaginem Christi, transforsavit amantem Christum. »

#### Dominum.

**9.** — Paulus de Palatio, in *Math.*, ait: « Omnes « rationes brevissime Christus adduxit: *Diligite Dominum Deum tuum*; si Dominus est, et se amari « jubet, parendum illi est: Si Deus est, omnium « honorum thesaurus est; si tuus est, ama quod « tuum est; quod esse poterat majus incitamentum « quam Deus tuus? » Sigillatim hæc motiva exami-

**10.** — Sufficeret dicere, quod cum amare Deum, præceptum sit, ad culpam mortalem nos obligans, id solum sufficiat, ut ei obediamus. S. Augustinus ait: « Quid minaris, nisi faciam, ingenies miserias? Parvæ est ipsa miseria, si non amem te? » Auctoritas Domini in servum, Principis in subditum, puellæ in suam amasium, illos ad res difficiles et arduas tentandas astringit et calcaria addit; ergone igitur minoris in hominem potentia erit auctoritas et imperium illius Domini, in cujus favore scriptum est: *Rex regum et Dominus Dominantium*, ad hoc ut ipsum ad rem tam utilem, honestam, convenientem, facilem et debitam, sicut est amare Deum, exstimulet. S. Hieronymus ad Celantiam scribit: « Quid unquam tam superbum, « quid tam ingratum videri potest, quam adversus « ejus vivere voluntatem, a quo ipsum vivere, acciperis? quam illius præcepta despiciere, qui ideo « aliquid imperat, ut causa habeat remunerandi? « Neque enim obsequii nostri Deus indiget, sed nos « illius indigemus imperio. » Idem quoque huic proposito nostro applicare possumus, ille enim Deus, qui in celo empyreo Seraphinis amore ardere facit, nequaquam indiget, ut a vili illo terræ vermi-

culo, imo luto, affectum ejus per præceptum adeo firmiter inculcatum, adeoque rigorose conditum, non in suam, sed illius utilitatem et delectationem exposcat, et tamen « imperat, ut causa habeat « remunerandi; neque amoris nostri Deus indiget, « sed nos illius indigemus amore. » S. Joannes, qui usque ad decrepitam ætatem, majoribus semper auctus fuerat sapientiæ incrementis, excellentioribusque divinorum mysteriorum radiis illustratus, discipulis suis salutare aliquod documentum ab ipso instanter poscentibus, dixit: « Filii diligite, » hujusque dicti solidam mox subjungit rationem: « Præceptum Domini est. » Omnes etiam insensata creature, per illius potentia, quam scholæ obedientialem appellant, instinctum, Creatori suo promptissime obediunt et obsequuntur; sic enim Deus igni præcepit, ut calor sui activitatem in fornace Babylonica suspenderet, et protinus obediit, eidem quoque elemento præcepit, ut contra naturalem indolem suam, supra infames illas civitates deorsum descenderet, et sine mora dilapsus est. Ergone præcipiens, ut ignis amoris sui in corde hominis accendatur, quod alio fine non creavit, quam ut amet, in eodem inveniet resistentiam?

**11.** — S. Augustinus efficacem quamdam rationem assignat, ob quam a nobis ex toto corde et ex omnibus viribus nostris amari desiderat: « Ut omnes cogitationes tuas et omnem vitam tuam, et « omnem intellectum in illum conferas, a quo hæc « bes ea, que confers. » Quando Deus hunc mundum creavit, totque plantis, herbis, fructibus, animalibus, etc., exornavit, hæc omnia in hominis potestatem redegit: *Omnia subieceris sub pedibus ejus*. At vero in signum domini sui super hominem, eidem, ne ex certo quodam pomo manducaret, præcepit; eodem modo dicere possumus, quod, quidquid boni aut pulchri in hoc mundo creavit, totum potestati hominis substraverit, ita tamen, ut tanquam Dominus et patronus hominis, loco tribui servitutis, cor, id est, amorem ei ab eo poposcerit.

**12.** — Verum enimvero ad hunc amorem in nobis magis excitandum, stimulus vehementissimus esse debet, considerare, quod supra illa Altissimi Dei majestas, quam *adorant Dominationes, tremant Potestates*, in objectum amoris se homini offerre non fuerit designata; quod enim Monarcha aliquis vilem aliquam ancillam Æthiopicam, nigram et deformem, ad suas invitaret nuptias, numquid favor ille excessivus et sine exemplo futurus esset? Quænam autem hominem inter et Deum est proportio? Longe minor certe, quam inter Monarcham et dictam ancillam: *Homo putredo, et filius hominis, vermis*. Et tamen Deus homini desponsari unice desiderat: *Sponsabo te mihi*; quod si a nobis amari solum dignatus fuisset, numquid id ipsum singulare fuisset privilegium, ad vero dum nobis, ut eum

amemus, præcipit, in quo estimationis loco nos habeat, evidenter ostendit. Quando unquam lutum istud presumptionem adeo temerariam concipere potuisset, ut se cum Deo uniret, eidemque intime adstringeret? S. Bernardus notat, quod Deus per hoc præceptum, nobis « Ausum dedit, et verecundiam depulit, et movit affectum. » Hoc motivo S. Augustinus astricte fuit, ut Deum interrogaret: « Dic mihi per miserationes tuas, Domine Deus « meus, quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a « me et nisi faciam, irascaris mihi? » Ad quod aliud nihil responderi potest, nisi quod alibi in *Meditationibus* ejus legitur: « Amor majestati oculus « clausit. »

**13.** — Quo fine unusquisque principum gratiam, primaque in curiis ipsorum loca sibi comparare satagit? Nimirum ut beneficiis pinguioribus cumulenter, loquentur, honorentur, auctoritate polleant et pro natis occasionibus, favores et gratias, pro se vel pro aliis sollicitare et impetrare possint. Ecce igitur tibi utilitatem, que in hominem, ex supremæ illius majestatis amore redundat, per hunc enim, ejus tibi conciliat gratiam, Dominus omnis homini efficiet, dominium obtines in creaturas, ad divinum ejus tribunal, familiarem tibi aditum sternis, ut, quidquid vis et desideras, impetrare valeas. Bene igitur S. Augustinus monet: « Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona et « sufficit; ibi est, quidquid amatis, quidquid desideratis; » majores Sancti, qui apud Deum potentissimi existunt, semper sunt illi, qui plus enim amant, qui prouide prestare possunt, quidquid volunt.

#### Deum.

**14.** — Paulus de Palatio ait: « Si Deus est, « omnium honorum thesaurus est, » quod tametsi verum sit, non desunt tamen et alia motiva, ut eum sub hoc titulo diligamus, ac prouide sciendum est, quod in S. Marco, xii, 29, ubi hæc eadem historia refertur, Christus respondisse legitur: *Primum omnium mandatum est: Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est*, ac demum subjunxisse: *Diligite Dominum Deum tuum*, etc. Quæro igitur que sit causa, cur Christus hunc Deuteronomii textum, in quo de unitate Dei fit mentio, memorarit? In alio quoque ejusdem libri loco pariter protestatur, dicens: *Videte, quod ego sim solus et non sit alius Deus præter me*. Pro responsione notandum, quod, quia Gentiles plures adorabant Deos, consequenter affectum et amorem suum inter multos dividere et dispersum debebant; nos autem unum tantum Deum habemus et agnoscimus, ut totum cor, totumque amorem nostrum ipsi soli dedicemus, absque eo, quod eum in alios dispergamus. Unde Theodoretus, in *cap. vi Deut.*, ait: *Ex hoc loco docemur, non scindere dilectionem*. Apostolus quo-

que hæc veritatem Corinthios docuit, *I. Cor.*, viii, 6, dum ait: *Nobis unus Deus pater est, ex quo omnia; id ipsum diu ante Psalmista præmiserat, Psal. lxxxii, 15, inquit: Cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus super omnem terram; quasi diceret: Ubi ab hoc solo Deo omnia que habemus bona, et non ab aliis, provenire agnoverimus; pater est, ex quo omnia, consequenter cum ab ipso solo beneficiis affecti simus, in ipsum solum quoque benevolentia et amor noster tendere debent.*

**15.** — *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum. Gen.*, i, 27. Porro quem Deus in re finem intenderit, S. Augustinus explicat, *lib. de spir. anima*, dicens: « Ut factorem « suum pro imagine cognoscat et pro similitudine « diligit; » quod si saxum aliquod, quod alias ex alpstri quadam rupe pendebat, a celebri quodam sculptore elaboratum, in statuum redigeretur Salvaloris, subque hæc figura, adorationis honores reciperet, illud utique si sensum haberet, magnum contestaretur amorem et gratitudinem erga illum artificem, a quo venerabilem adeo speciem et figuram receperisset; quid homo ante sui creationem aliud erat quam lutum? *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me*. Cui, ut Ambrosius bene considerat, Deus noster illam creans, eo præcipue fine divinitatis suæ imaginem impressit, « ut tanto ardentius amaret conditorem, quanto mirabilis se « ab eo conditum intelligeret. »

**16.** — Et quidem amor, quo Deus a nobis diligendus est, minime debet esse vulgaris et communis, sed vero et vivo Deo optime proportionatus, de quo Baruch, iii, 36, ait: *Hic est Deus noster, non æstinabitur alius ad eum*, unde omnibus rebus creatis preferendus est. S. Franciscus de Sales, de amore divino tractans, varietatem declarat affectuum, paterni, scilicet, fraterni, filialis, conjugalis, amicitia et aliorum similium, qui omnes particularibus adaptantur subjectis, ita ut ad alios ordinari non possint, qui enim Dominum suum solo diligere amore fraterno, suo utique debito non satisfaceret et qui servum diligere et filium, amor ejus utique impertinens esset, amor enim inquit ipse, se habet instar honoris, et ideo sicut hi secundum dignitates et gradus differentes diversificantur, ita pariter ab invicem differre debent amores, adeoque amor Dei, Deo conformis esse debet, nec est confundendus cum aliis aliorum affectibus, nec pari loco habendus, quia Deus objectum et bonum est incomparabile et infinitum.

#### Tuum.

**17.** — Deus totus noster fieri voluit, ut omnium nostrum amorem sibi tanto magis lucraretur; idque in incarnatione factum fuit, quando idem Spiritu Sancto mediante, qui nihil est aliud quam amor et charitas, nature nostræ humane hypostaticè unitus

fuit: « Incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. » De conjugibus dicitur: *Duo erant in carne una*, et de Deo cum humanitate in incarnatione desponsato, sancta Mater Ecclesia canit: « Uti sponsus de thalamo suo, » egressus honestissima Virginis matris clausula. »

**18.** — Guericus Abbas, *Serm. II de Annunc.*, ait: « Quid sie hominem excitare potest ad amorem Dei, quam præveniens hominem amor Dei, » tamque vehemens ad hominem, ut homo propter « hominem voluerit fieri? Quid autem ita nutrit amorem proximi, quam similitudo et natura « proximi in humanitate Dei. »

**19.** — S. Thomas in hymno de sanctissimo Christi Corpore pulchra hæc verba ad propositum nostrum habet. « Se nascens dedit socium, convens in edulium, se moriens in pretium, se regens nans dat in præmium; » ad hoc, ut unum idemque nobiscum ferret, amor eum induxit, ut semel ipsum in cibum et nutrimentum nostrum daret, *Joh. VI, 23: Qui manducat meum carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo*, ac proinde S. Joannes, XIII, 1, de Christo sanctissimum Sacramentum instituturo, dixit: *In finem dilexisti*; sic quoque *communio* a verbo *unio* derivatur, quasi communis unio. Et S. Cyrillus ait: « Intellegere licet, quod Christus in nobis sit, non solum per modum dilectionis, verum etiam per communionem naturæ; » quis autem Deum illum non amat, qui ex abundantia amoris, panis, caro et sanguis factus est, ut a vili terræ vermiculo devoraretur, eo quod tenerime illum amat? Ut S. Augustinus ait: « Ama amorem illum, qui amore tui, » descendit in substantiam panis et ibi amorem suum amori tuo copulavit; humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen suæ æternitatis « limo tuæ mortalitatis. »

*Ex toto corde tuo.*

**20.** — Lucas Brugensis hæc verba litteraliter explicans, dicit: « Non interior tantum hic amoris actus præcipitur, sed et exterior, qui ab interiori proficiatur; nec actus solum, verum etiam habitus; ut, si quando actu non ames Deum, nihil tamen agas, quod adversetur amori ejus. »

**21.** — Paulus de Palatio tres hosce amoris gradus, nimirum *ex toto corde, in tota anima, in tota mente* ponderans, illic intelligi posse existimat effectus illorum, qui in variis statibus per viam spirituales incedunt: « Primus est incipientium, secundus proficientium, tertius perfectorum; nam si e corde tuo nulla exeat mala cogitatio, nec furtum, homicidium, etc. Tunc diligis *ex toto corde*, totum cor Deo nullam ejus partem vitio concedens; at ubi contendis nihil aliud cogitare, memorari, cupere nisi Deum, tunc diligis *ex tota mente*, » animam Deo non alio plenam habere laborans;

« sed ubi ascendisti ad perfectionem spiritualem, » ubi cor et caro defecerunt in salutare Dei, tunc « purus diligis spiritus, tunc diligis *tota anima*, tunc « fastidis omnia temporalia, renuit animam in alio « consolari quam in Deo. »

**22.** — Cajetanus hæc verba in ordine ad voluntatem nostram exponit, quæ in Deum converti debet: « Corde, hoc est, voluntate, cujus proprius actus elicitus est diligere; » qualiter autem hæc totalitas intelligi debet, sequentibus verbis declarat: « Dupliciter potest exponi, totaliter, vel positive, quod omnis vis voluntatis apponitur ad diligendum Deum; et si non præcipitur exequendum viatori, quia impossibile est, sed implebitur in celesti patria; vel negative, hoc est, sic diligere Deum, ut nihil in tuo corde sit contrarium dilectioni Dei. »

**23.** — S. Bernardus in sermone quodam super Cantica ait: « *Toto corde* diligimus, si, quod blanditur sensibus, ob amorem Christi rejiciamus; » quanto enim voluntas nostra ad placendum Deo inordinatis appetitibus suis repugnabit, tanto magis summum bonum ex toto corde diligere convinctur. Egregia est illa Richardi consideratio, quod scilicet Deus noster in omnibus hisce creatis rebus, quæ suis nos lenociniis allicitant, haud secus ac in spectaculo quodam aliqualem sui impressit imaginem et similitudinem, ne nos per illas seduci permittamus, sed semper in ipso totus amor noster defixus maneat: « Columbinus oculus amor est, » inquit, « qui in rebus humano usui concessis, quocumque se vertit, familiarem habet admonitionem amoris, rebus his, pro speculis utens et in eo, » quod cernit, Dei amatoris sibi resultat memoria; « aspiciet cuncta quæ condidit Deus; et quo condidit « fine et in his non tam admirabilis quam amabilis sibi videtur. »

**24.** — Glossa ait: « Per verba illa: *Ex toto corde*, integritas fidei exprimitur; » similiter Interlinearis inquit: « *Ex toto corde*, id est, intellecta, ut nullum in confessione divinitatis relinquitur error locum; » ejusdem quoque opinionis est S. Bonaventura, *Serm. IV in hæc Dom.*, qui S. Augustinum citans, ait: « *Ex toto corde*, id est, intellecta sine errore. »

**25.** — Lucas Brugensis illos, qui amare fingunt Deum et sunt hypocritæ, Deum ex toto corde suo nequaquam amare dicit: « Qui diligit Deum non ex corde hypocrita est, » juxta illud Davidis, *Psal. LXXVII, 36: Et dilexerunt eum in ore suo et lingua sui mentis sunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo.*

**26.** — S. Bonaventura verba hæc de illis exponit, qui dilectioni opera associant, amori correspondentia; sive qui affectum per effectum comprobant: « *Toto corde* non diligit, qui dilectionem in effectu non ostendit. »

**27.** — S. Thomas in *Summa* sua, II, II, q. XLV, art. 5, ait: « Deum *toto corde* amamus, si nihil contra Deum præcepta diligamus; » universa enim lex quam Deus nobis dedit, huic charitatis basi innititur: « *Plenitudo legis est dilectio*; tunc igitur *toto corde* amamus, quando omnia præcepta adimplemus: *Ut sitis integri, in nullo deficientes; quicumque enim totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, inquit S. Jacobus, I, 4. »

**28.** — Lucas Brugensis ait: « Opponitur cor totum cordi diviso seu dispersito; opponitur et cordi remisso ac languido, ut opponitur cordi diviso, *corde toto*: diligendus est Deus quia nihil diligendum est, nisi vel Deus ipse, vel id, quod Deo placet. »

**29.** — S. Augustinus a S. Thoma citatus ait: « Deum *ex toto corde* diligere præcipitur, ut omnes cogitationes tuas in illum conferas, » Albertus Magnus ex auctoritate S. Isidori ita scribit: « *Ex toto corde* diligere, est ex tota cogitatione Deum querere. » S. Bonaventura in discursu secundo de S. Magdalena, ad intelligendum, quando ex toto corde Deum diligamus, sequens optimum assignat indicium, dicens: « Vis scire, si Deum perfecte diligas, vel aliud plus Deo ames, attende, si de Deo plus quam de aliis rebus cogitas; quia de illo plus cogitas, quod plus amas; ubi enim *thesaurus tuus, ibi et cor tuum.* »

**30.** — Albertus Magnus in sermone super hoc Evangelium ait: « *Ex toto corde* est diligendus, id est, ex omni motu et sensu nostro, scilicet ex omnibus verbis et operibus nostris, ex omni visu, » audita, gusta, odoratu et tactu; » quoniam vero modo Deum etiam per sensus amare possumus declarat, dum ait: « Ut videlicet verba lingue nostræ et opera manuum nostrarum et omnes sensus nostros exteriores ad dilectionem Domini convertamus. » S. Augustinus de anima Deum vere amante, ita scribit: « Anima, quæ Deum amat, nihil aliud potest cogitare, nihil aliud velle, nihil aliud loqui, nisi solum Deum. »

**31.** — Hugo Cardinalis, dicit S. Chrysostomo, interrogat: « Quid est, diligere Deum in *toto corde*? » Ut cor tuum ad nullius rei dilectionem magis sit inclinatum, quam Dei; nec delecheris in specie mundi amplius quam in Deo, non in honoribus, non in auro, non in amicis, sed præ his omnibus, Deum ames; » qui discursus est Auctoris Imperfecti, qui illud ultra id, quod Hugo dicit exemplificat quoad affectum, ad possessiones, vineas, vestes, agros, filios, parentes, ac demum concludit: « Hæc omnia existimes tibi esse in Deo, ut præ his omnibus Deum ames; si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, jam *ex toto corde* non amas Deum. » Non prohibemur amare filios, conjuges, amicos, sed hos Deo præferre nobis interdicitur. S. Augustinus in sermone, qui intitu-

latur *de amore Dei et sæculi*, verba illa Christi, *Mat., X, 37: Qui amat patrem suum aut matrem suam super me, non est mihi dignus*, considerans, pro nostra intelligentia subiungit: « Amorem parentum, uxoris, » filiorum non abstulit, sed ordinavit; non dicit: « *Qui amat*, sed: *Qui amat super me*; hoc est, quod « Ecclesia loquitur: *Ordinavit in me charitatem*; » ama patrem, sed noli supra Dominum, ama genitorem, sed noli supra Creatorem. »

**32.** — Sara Isaacum in societate Ismaelis videns, nunquam indignata fuit, nisi quando hunc illum ad ludum parum decentem et inhonestum extimulare vidit; ita quoque charitas, qua Deum prosequimur, non odit affectum, legi et debito, quo ei obstringitur contrariatur; omnis enim amor, a Dei amore dependere debet. Victor Antiochenus proinde inquit: « Homo tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorsus in ullam animæ facultatem tem irreperere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut alio transferat; sed in omnibus illi soli magis magisque assidue placere satagat, nec alteri persone aut rei create, nisi propter Deum. » S. Francisus de Sales S. Michaelis adducit exemplum, qui dum videret Luciferum omnes ad se angulos, qui in divino amore persistierant, attrahere conantem, erecto vexillo, cui inscriptum erat: *Quis ut Deus?* nequam hunc spiritum, cum omnibus aliis apostatis, Deo se adæquare præsumebant, prostravit; eodem modo quando in conflictu desideriorum et affectuum nostrorum, erga hæc res terrenas videmus, quod hi voluntatem et cor nostrum primo loco occupare et cum Deo competere, illumque amorem, qui soli Deo debetur, pretendere præsumant, eodem per generosam repulsum suppressim, atque a nobis abigere debemus, dicendo: *Quis ut Deus?* Quis adeo præsumptuosus erit, ut Deo præferri et voluptates, divitias, honores, aliasque mundi consolationes plus quam divine legis observantiam, assidui et amari contendant.

*Et in tota anima tua.*

**33.** — Cajetanus verba illa de vita nostra sensitiva et vegetativa, hoc est, de vita animalium interpretatur, simulque declarat, quomodo etiam hæc ad hujus præcepti adimpletionem ordinare possumus; ait enim: « Diligere autem in anima, hoc est, in animalium vita, est, opera omnia, ad animale vitam spectantia, dilectioni Dei subijcere, ad dilectionem Dei ordinare, in omnibus hujusmodi operibus, dilectioni Dei obsequi. Non sufficit enim, ut voluntate diligamus Deum, sed oportet « in sensibus delectationibus nihil admittere « contrarium dilectioni Dei. » S. Augustinus dicit: « *In tota anima*, ut omnem vitam tuam in illum conferas. » Origenes ait: « *Ex toto anima tua*, id

« est, ut parati sint eam ponere pro pietate Dei. » Glossa inquit : « In tota anima, quia perfecta obedientia exigitur. » Interlinearis pariter scribit : « Id est, voluntate, ut nihil ei contrarium velis. » S. Bonaventura, *Serm.* iv, dicit : « Ex tota anima, id est, voluntate sine contradictione. » Albertus Magnus inquit : « Ex tota anima, id est, ex omni affectione desiderare. »

**34.** — Auctor Imperfecti ait : « Quid est, in tota anima diligere Deum? id est, certissimum animum habere in veritate et firmum esse in fide. »

*Et in tota mente tua.*

**35.** — Dionysius Carthusianus ad hoc preceptum se reflectens, illud duobus modis ponderari posse dicit : « Quantum ad actum, ita ut cor, mens, anima et virtus hominis semper actualiter ferantur in Deum et hæc est perfectio patriæ, » ad quam, quousque viatores sumus, pervenire non possumus; alter modus nobis possibilis est hic : « Quantum ad habitum et actum proportionatum, » videlicet ut homo nihil operetur, contrarium « charitati; et hæc est perfectio viæ, cadens sub precepto, ab omnibus debita. » Demum vero progreditur ad declarandum varias formas, quibuscumque hoc preceptum nobis imponitur : « Invenitur itaque Deum ex toto corde diligere, ut tota affectio nostra ordinetur ad Deum; tota insuper mente, quantum intellectus Deo in omnibus subjiciatur; tota anima, ut appetitus sensitivus et virtus sensitiva secundum Deum dirigantur, totaque vivat, ut « omnis actus noster exterior secundum precepta Dei reguletur. »

**36.** — S. Thomas inter cor et mentem distinguit, dicens : « Differentia est inter mentem et cor; mens enim dicitur, a metiendo, cor sumitur pro simplicitate intellectus; mens vero quo ad prolationem, quia per sermonem melius intellectus sive cogitatio; unde vult dicere, quod in locutione nihil et meditationibus Deum totaliter diligamus. » Origenes ait : « In tota mente, nihil aliud scilicet proferentes, nisi quæ Dei sunt. » Auctor Imperfecti, *Hom.* xii, ait : « Quid est, tota mente diligere Deum? Id est, ut omnes sensus tui, qui pertinent ad te, Deo vacent, cuius intellectus Deo ministrat et cuius Sapientia circa Deum est, cuius cogitatio ea, quæ sunt, Dei, tractat, cuius memoria, quæ sunt bona, recordatur. » S. Bonaventura, in *stimulo div. amoris*, de hoc cælesti amore ita scribit : « Nonne debeo totum et plus quam totum illi, a quo habeo totam, quod sum et quod a possideo? »

**37.** — Glossa ordinaria ait : « In tota mente perseverantia ostenditur, » quia hic amor perseverans esse debet.

**38.** — Porro qualis sit gradus amoris, ad quem obligantur omnes vi precepti, quod omnes æqualiter

stringit in omni loco, tempore et statu, S. Franciscus de Sales declarans, observat, quod in versione nostra Vulgata, quam Concilium Tridentinum canonizavit, preceptum hoc per dilectionis nomen potius quam amoris expressum fuerit; quia tametsi etiam amor sit dilectio, non tamen est simplex amor, sed associatus ab electione prout ex huius dictionis *dilectio* etymologia clare deducitur; idque ad docendum nos, preceptum nobis esse non quemlibet affectum et amorem, sed illum, qui inter multos electus est, Deoque debetur, quique omnibus aliis rebus anteponi debet; et hoc forte est, quod Albertus Magnus per adductam S. Isidori auctoritatem, dicere voluit, dum ait : « Ex tota mente, id est, ex omni ratione cunctis præponere. »

#### Adiunctiones.

**a.** — *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.* Visne scire quid Deus tuis principaliter a te requirat? Ecce nihil aliud quam solum amorem : *Præbe mihi, fili, cor tuum.* Quisquis cor illi donat, omnia tribuit; quid igitur facilius est quam amare? Ad quem amorem ut nos eo ardentius alliceret, varias excogilavit inventiones amoris, ad hoc ut magis pro homine pati posset, ut eo in nobis major esset obligatio amoris. Tametsi in omnibus viæ Redemptoris nostri mysteriis, ejus erga hominem amor magnopere eluxerit; attamen ut divini amoris secretarius optime advertit, Christus ad finem vitæ suæ appropinquans, raras excogilavit inventiones, ut amorem suum erga homines tanto magis innotescere faceret; unde ait : *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Opus quidem creationis nostræ magnum erga nos Dei amorem ostendit, siquidem per illud nobis tam excellens et eximium esse dedit, cuiusmodi est, ad similitudinem ejus formatum esse : *Fecimus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Pro hoc autem beneficio reciprocum a nobis amorem nostrum deposcit, dicit S. Augustino : « Facta est anima ad imaginem » et similitudinem Dei, ut factorem suum pro imagine cognoscat, et pro similitudine diligat. » Cui conforme est, quod S. Ambrosius in hæc verba scribit : « Ul tanto ardentius amare Conditionem, » quanto mirabilis se ab eo conditam intelligere. » At vero si ob beneficium creationis Deum adeo amare tenemur, quid de beneficio redemptionis dicemus, quæ multo pluris ipsi constitit? Quantopere illum propter hoc amare obligabimur? Audiamus Eusebium Emisenum dicentem : « Maximam quidem circa hominem divini amoris insigne est, quod inter ipsa mundi principis, » imaginem ac similitudinem Dei sui servus accipit; sed pene amplius est, quod nunc personam » et formam servi, Deus Auctor assumpsit. » Enimvero quoniam sine Deo infinite Majestatis in formam servi se vestiverit, imo latronis sibi famam

assumpsit : *Cum iniquis deputatus est; subdit vero idem Emisenus* ex S. Augustino de diligendo Deo, ut videtur : « Magnum quidem mihi est de Deo, quod esse me sentio opus suum; sed multo plus est, quod transiisse ipsum video in pretium meum, » quando quidem tam pretioso munera ipsa redemptio agit ut homo Deum valere videatur. » At vero, dices : Numquid Deus pluribus aliis modis facilioribus nostras poterat reparare ruinas, absque eo quod Filium suum in crucem agi permitteret? Dicit enim Doctor Angelicus : « Deus » per suam omnipotentem virtutem poterat nullis » aliis modis humanam naturam reparare. » Respondeo verum quidem hoc esse; attamen per illos modos amoris sui immensitatem nequaquam ita perspicue demonstrasset, quemadmodum illam in passione sua emicare fecit.

**b.** — Cum mandatur, ut diligas Deum ex toto corde tuo, in tota anima tua, mandatur ut summopere ac omnibus viribus tuis diligas Deum, id est, ut Victor Antiochenus, in *cap. Matth.*, ait : « Homo » tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorsus » in omnem animæ facultatem irrepere sinat, quod » suam erga Deum dilectionem excludat aut dimi- » nuat, aut alio transferat; sed in omnibus illi soli » magisque placere satagat, » minimaque etiam, quæ divinos oculos offendere possent, evitare, ut *sitis perfecti et integri, in nullo deficientes*, ait S. Jacobus, 1. 4. His verbis Apostolus Christi perfectionem conjungit cum integra omnium divinarum præceptorum observantia, eaque adeo exacta et punctuali, ut in illo prorsus deficiat : *In nullo deficientes.* Undenam eminentem sanctitatem Baptistæ Joannis, cui mundas post magnam Dei Genitricem parem non habuit, nec unquam habebit, sua accepisse incrementa existimas? Nimirum de ipso sancta Mater Ecclesia canit : « Antra deserti teneris » sub annis, civium turmas fugiens petisti. » At vero cur se in desertum illud se recepit? Num forte ideo ut se per sanctam contemplationem, cum Deo actus uniret, aut vero ut factus scorpionum aliarumque ferarum sodalis, austeriorem, rigidioremque ageret penitentiam? Non dicit hoc sancta Ecclesia, sed causa hujus præcipua hæc ab eadem assignatur, ut scilicet culpas quoque veniales tanto securius fugere posset : « Ne leve saltem maculare » vitam flamine posses. »

Devotus quidam auctor sequentem tradit magni ponderis et momenti considerationem : « Non est » verus amicus qui deliberate vellet amico infligere vulnus leve, etsi non lethale; imo omnino » amicus non esset; sic qui non vellet adhibere » curam, ne offendant Deum venialiter, hoc ipso » convinceretur non esse amicum Dei. » Per peccatum quidem veniale, amicitia Dei non amittitur; per illud tamen multum frigeat et diminuitur; at vero, dicite obsecro, numquid magna futura esset

stultitia, si quis leve aliquid vulnus amico suo infligendo efficeret ut idem illud vulnus in se recideret, sibi que irremediabile et incurabile esset, nisi per sanguinem illius qui leviter ab eo vulneratus fuerat, curaretur? Peccatum et offensa que Deo irrogatur, recidit super irrogantem illam, nec curari potest vulnus, quantum sit leve, sine balsamo pretiosissimi sanguinis Christi.

**c.** — S. Augustinus textum propositum sic exponit : « Ex toto corde tuo, id est, ex tota voluntate » tua; ex tota anima tua, id est, ex toto intellectu » tuo; ex tota mente tua, id est, ex tota memoria » tua. » Scilicet, quasi parum foret, Deum voluntate amare, memoria et intellectu amandus dicitur, ac si recordatione et discursu amandus etiam sit, quod his potentiis insolens est. Sed hæc velut insolentiam, nimis amor Dei exhibendum iure suo ab omnibus exigit. Unde hæc S. Augustini elucidans expositionem, Victor Antiochenus, in *Matth.*, ita scribit : « Homo tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorsus in ullam animæ » facultatem, etc., ut supra : nec alteri personæ » aut rei create, nisi propter Deum, scilicet placere » satagat. » En igitur quomodo omnes animæ facultates et potentie Deum diligere jubentur. In omni enim vocatione fieri potest charitatis exercitium, quo mediante, lucramur celestem gloriam, et Deus quantum est ex se, nunquamque salvare intendit. Suffragante amore Dei, sanctæque intentionis rectitudine, cunctis nostris operationibus valorem et meritum addere possumus, esto etiam in seipsis nullius sint valoris; unde consult S. Apostolus, 1 *Cor.*, x, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Comedere, bibere, dormire, ire spatium, similesque actiones solent animæ nonnunquam conferre molestiam, quamvis corpus restaurent; nihilominus, si in huiusmodi actionibus rectam intentionem instituanus, quia nimirum Deus pro vitæ nostræ sustentatione ita disposuit, ut in ejusdem servitio simus alacriores ferventioresque, ac proinde ordinamque ferarum sodalis, austeriorem, rigidioremque ageret penitentiam? Non dicit hoc sancta Ecclesia, sed causa hujus præcipua hæc ab eadem assignatur, ut scilicet culpas quoque veniales tanto securius fugere posset : « Ne leve saltem maculare » vitam flamine posses. »

Devotus quidam auctor sequentem tradit magni ponderis et momenti considerationem : « Non est » verus amicus qui deliberate vellet amico infligere vulnus leve, etsi non lethale; imo omnino » amicus non esset; sic qui non vellet adhibere » curam, ne offendant Deum venialiter, hoc ipso » convinceretur non esse amicum Dei. » Per peccatum quidem veniale, amicitia Dei non amittitur; per illud tamen multum frigeat et diminuitur; at vero, dicite obsecro, numquid magna futura esset

**d.** — Textus Persicus hic legit : *Diliges Dominum Deum tuum, ut tota simplicitate mentis tuæ, quod con-*